



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

Caput I. De Electione Episcoporum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI. *Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.*  
A.C. 1547.

## §. XX.

*Decretum de Reformatione.*

*Labbe Conc.* **R**ecitatis hisce Canonibus prælectum  
*p. 479.* fuit Decretum de Reformatione,  
*Pall. l. 9. c. 11.* idque comprehensum quinque capitibus,  
 quibus præfixa erat sequens præfatio:  
*Eadem sacra Synodus eisdem præfidentibus  
 & legatis, inceptum residentiæ & reforma-  
 tionis negotium ad Dei laudem & Christianæ  
 Religionis incrementum prosequi inten-  
 dens, ut sequitur, statuendum censuit, sal-  
 va semper in omnibus Sedis Apostolicæ au-  
 thoritate.*

## CAPUT I.

*De Electione Episcoporum.*

**A**d Cathedralium Ecclesiarum regimen nul-  
 lus, nisi ex legitimo matrimonio natus,  
 & ætate matura, gravitate morum, lite-  
 rarumque scientia juxta constitutionem Ale-  
 xandri tertii, quæ incipit: cum in cun-  
 ctis, in Concilio Lateranensi promulgatam  
 præditus assumatur.

Ad hoc caput observari potest, quod  
 omni tempore plurimum commendatus  
 fuerit Episcoporum selectus, tanquam  
 præcipuum Disciplinæ Ecclesiasticæ  
 punctum, sive demum penes Clerum,



ac populum fuerit Pastores suos per <sup>Sæcul. XVI.</sup> communia suffragia eligendi jus, five <sup>A.C. 1547.</sup> solus Clerus absque populo, aut Principes profani eorum electionem fieri mandaverint, aut per privilegia eis a Papa concessa ad Episcopatus nominaverint. Præterea quorundam opinio adstruit, quod primum ineunte sæculo undecimo summi Pontifices in natalium vitio legis gratiam facere cœperint. Porro circa ætatem in Blessensi edicto præcipitur, quod Episcopi saltem vigesimum septimum ætatis annum attingentes in quadam Universitate Doctorum honoribus, aut saltem prima Doctoratus laurea insignes sint. Idem etiam reperitur in Concordatorum articulis.

## CAPUT II.

*Beneficiorum pluralitas interdicta.*

*Nemo quacunq̄ue etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere præsumat: cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene, ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit, qui autem plures Ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent,*

T 2

una,